



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 3. S. Leonis Epistola ad Leonem Imperatorem, & alia in Causa Timothei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V. pam, Anatolium Constantinopolitanum,
 A.C. 457. Basilium Antiochenum, nam Maximus e
 vivis excesserat, & cunctos Episcopos Ca
 tholicos anathematizavit. Sacris Dipty
 cis, Proterii Nomine deleto, suum, &
 Dioscori nomen inseruit. Proterii pro
 pinquos persecutus, ejusdem Patrimo
 nium diripuit. Ex quatuor aut quinque
 Sectæ suæ Episcopis, aliquos apud se re
 tinebat, alios in Ægypti Civitates mitte
 bat, qui Episcopos Catholicos, eorum
 que Clericos vexarent. Senibus, quos
 Theophilus, & S. Cyrillus ordinaverant,
 ejectis, Hæreticos ordinari jubebat. Ca
 thedras Pontificales, in quibus Proterius
 federat, confringi, & flammis tradi, at
 que Altaria, in Ecclesiis erecta, & conse
 crata, aqua marina lavari jussit. Mon
 asteria Virorum, Virginumque, immillis
 suæ factionis Clericis perturbabat. Com
 munionem Episcoporum, aut Clericorum
 Catholicorum recipi, aut ipsos omnino
 pro Clericis haberi vetuit; hinc illi fu
 gere, & latere cogebantur.

§. III.
S. Leonis Epistola ad Leonem Imp. &
alioe in Causa Timothei.

Ep. S. Leon. Ubi facinoris horrendi fama Constanti
 polim pervenit, Anatolius sine mo
 ra, quæ compererat, ad S. Leonem per
 scripsit, & præterea, Hæreticos aliud
 Con-

118.

Concilium ferociter postulare, in quo Sæculum V.
Calcedonensis Decreta abrogarentur; A.C. 457.
Imperatorem quidem ex mentis propriæ
motu insolens petitum rejecisse, nihilo-
minus e re fore, si Papa ad eum scribe-
ret, mentem bonam confirmaret, roga-
retque, ut tantis malis remedium ferret.
Ergo S. Leo Papa ad Leonem Imperato- Ep. 115.
rem, cui jam prius felix Imperii Auspi- al. 73.
cium per litteras precatus fuerat, alteram
dedit Epistolam, in qua hortatur, ut Au-
toritati inconcussæ Concilii Calcedo-
nensis constanter inhæreret, & Pacem Ec-
clesiæ Alexandrinæ redderet, quod tunc
sperandum, si Episcopum a Catholicis or-
dinari præciperet. Hæc epistola nona
Junii, Constantino, & Rufo Consulibus,
id est, anno 457. data.

Partium quoque suarum esse S. Leo
credidit, majorum Cathedrarum Episco-
pos excitare, ut consensu unanimi Bo-
nam Causam sustentarent. In hunc fi-
nem ad Basilium Antiochenum epistolam
dedit, cuius istud est initium: *Decuisset,*
ut Ordinationem tuam secundum consue-
tudinem Ecclesiæ, () vel tu, vel Fratres* Ep. 118.
Noſtri,

(*) Ex his habemus, S. Leonis ætate Confue-
tudinem Ecclesiæ fuisse, ut non solum Metropoli-
tæ Occidentis, sed etiam Patriarchæ in Oriente
post Electionem suam per epistolas Communionis

* Sede Romana Confirmationem peterent.

Sæculum V. Nostri, illius Provinciæ Episcopi, ad Nos
 A. C. 457. perscriberetis; sed causæ sunt, quæ tibi id
 facturo, obstaculo esse potuerunt. Imperator Marcianus Sanctæ memoriae per suas
 epistolæ consecrationis tuæ Nos certiores fecit, & aliunde satis notus es Nobis, ut,
 quin dignus sis, dubitare nequeamus. Hortatur deinde, ut scelestis Eutychiano-
 rum molitionibus obsistat, & Auctoritatem Concilii Calcedonensis labefactari
 nullatenus patiatur. Qui enim hoc Con-
 cilium oppugnant, inquit: Mysterium In-
 carnationis destrūctum cupiunt. Nihil
 mibi persuasum magis, Imperatorem, Pa-
 tricium, omnesque Magistratus nihil, quod
 Ecclesiæ nocere possit, Hæreticis conceffu-
 ros, si populorum Pastoribus animum con-
 stare intellexerint. Mandat Basilio, ut
 hæc consilia ad omnes Episcopos, nem-
 pe suæ Provinciæ, transmittat. Eadem
 Epistola ad Juvenalem Jerosolymitanum,
 & Euxitheum Thessalonicensem missa.
 Data est 23. Aug. 457.

Haud diu post hæc S. Leo, occasio-
 nem litteras mittendi nactus, per quem-
 dam, nomine Geroncium, Constantino-
 polim redditurum, tres prima die Sept. de-
 dit epistolæ, unam ad Julianum Coanum,
 qua mandabat, ut epistolæ ad Metropo-
 litanos datas redi curaret; querebatur
 etiam, quod aliqui dicerent, epistolam
 suam ad Flavianum obscuritate laborare
 &

& longiore explicatione opus esse. Alte-Sæculum V.
ram epistolam dedit ad Aetium Presbyterum, cui dicit, scripsisse se Patricio Asparo, Sporatio, & pluribus aliis; *mitto tibi etiam, inquit, exempla litterarum, quas Episcopi Galliæ, & Italiciæ, ad nos scripserunt, ut cognoscatis, quam arcte nos eadem Fides conjugat.* Epistola tertia ad Leonem Imperatorem scripta est, ut magis magisque in proposito Concilium Calcedonense protegendi confirmaret. Eadem tempestate in Occidente imperabat Majoranus, Ravennæ, Imperatore Leone conscio, proclamatus.

A. C. 457.

Ep. 122. ab.

74.

Marcel. Chr.

Idac.

§. IV.

Episcopi ex Ægypto Constantinopoli.

Inter hæc aliqui Episcopi ex Ægypto, cum Timothei insidias evassissent, Constantinopolim delati, omnia, quæ sibi contigerant, Anatolio Episcopo enarrarunt. Tum Libello omnium Episcoporum Ægypti, & Clericorum Alexandrinorum Nomine Leoni Imperatori tradito, memora- Conc. Calc.
bant, ipsum in Imperii sui Auspiciis epi- p. 3. c. 22.
stolas ad Episcopos Metropolitas dedisse,
Fidei Catholicæ faventes, atque omnium Antecessorum suorum, & speciatim Marcianni Imperatoris mandata confirmasse. Deinde referebant intrusum Timotheum, Proterium trucidatum, & Persecutionem, sub qua Catholici gernerent, & subjun-

B b b 2 gebant